



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Concha Dvodecim Margaritarvm

Coloniae, 1649

Margarita IX. Obedientia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55155](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55155)

riori: etiam à quouis alio potu, quantum potero, similiter à cibo abundantiori. Dicitur enim: Ne olla efferuecat, subtrahere ligna foco.

12. Si ad inhonestum quid cogeras, memor veteris Iosephi, & S. Thomæ Aquinatis, aut fugiam, aut vim repellam, aut potius mortem patiar, quam quid inuerecundi admittam.

13. Ut eò amplius B. Virgini matri meæ placeam, & ut cum eâ sequar. Magnam quocumque ierit, &c. castus semper, & Virgo permanebo corde, ore, & opere, quoad Deus me ad aliquem statum vocauerit.

14. Ad castitatem consequendam sæpius utar corporis afflictionibus, castitio, disciplinis, &c.

15. Ad eundem finem Deum sæpius orabo, eosque Sanctos colam, vel maximè, qui Virgines extiterunt.

MARGARITA IX.

OBEDIENTIA

1. Parentum, Præceptorum, Confessoriorumque voces, ut Dei dictum sequar in omnire.

2. Leges meæ Sodalitatis scholasticæque, semper, etiam in minimis, obseruare studebo.

3. Aduertam ad nutum Parentû, ac Præceptorum, & mox, id, ad quod propenderit, exequar.

4. Cùm aliquò vocatus fuero, mox, relicta etiam literâ imperfecta, eò curram, iustumque agam, nec bis moneri patiar.

5. Si iullus fuero aliquid facere contra meam inclinationem, mox hac relicta, voluntati, & iudicio mandantiû obtemperabo; quia Sanctum est, quod Deus per hos iubet.

6. Etiam si durissima mihi imperet, & quæ putarem esse contra honorem meum, &c. Dei gratia nixus aggrediar, Deus enim in eo iuuat, quod imperat.

7. In somno medio expergefactus, mox ad quæuis promptus adero, veterem imitans Samuëlem.

8. Censoribus Scholasticis, Pædagogisque in omnibus promptissime obediã, quæ ad eorum spectauerint imperium.

9. Si iuuenis , vel alius quidpiam mihi Parentum, aut Magistri nomine dixerit, mox istud peragam, non secus ac si ipse præsens iussisset.

10. Si quid mihi faciendum imponatur, non examinabo apud me causas, cur hoc mihi faciendum, cur hoc mihi pœnitentia agenda, sed satis erit quia Mandans vult.

MARGARITA X.

PATIENTIA.

1. Omnes corporis incommoditates vltro se offerentes, vt frigus, calorem, famem, sitim, pluuia, &c. lubens feram, cogitans me sic Purgatorium meum, vel Infernũ soluere.

2. Morbos etiam, vt dona de manu Dei acceptabo, & non multum in iurgiam, aut querar, sed Deo gratias agam.

3. Si quid mihi aduersi acciderit, non statim apud alios querar, ne male contentus videar, aut ab hominibus consolationes emendicem.

4. Si quid calumniarum in me congestum fuerit obmutescam, & lubens cum Christo feram; orabo etiam pro calumniatoribus.